

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput LII. De castitate gloriosae Mariae virginis, et qualiter vestis
innocentiae debeat custodiri.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Maculas
suas durius
tergens plus
lacerat
quam sanat.

speculo etiam obedientiæ Christi, attendat vultum suum, ne culpam inobediendiæ in eo inveniatur. In speculo vero Christi amoris, probet quam amorusus sit ad majores, scilicet ad prælatos, quam pacificus ad æquales, quam mansuetus ad minores. Et si quid in his vel similibus, in facie animæ suæ reprehensione dignum invenerit, studeat suaviter abstergere leni panno humanitatis Christi, recolendo dulciter quod Christus est frater noster, qui ita pius est, ut cum homo peccatum suum agnoscit, ipse misericorditer ignoscat. Caveat ergo homo ne acriter nimis maculas suas diluat, scilicet sine consideratione bonitatis divinæ; quia eas durius tergendis, plus laceraret quam sanaret.

CAPUT LII.

DE CASTITATE GLORIOSÆ MARIÆ VIRGINIS, ET QUALITER VESTIS
INNOCENTIÆ DEBEAT CUSTODIRI.

DUM audiret in prædicatione multum commendari beatæ Virginis castitatem, orare cœpit ipsam virgineam Matrem, ut sibi castitatem veram mentis et corporis obtineret. Tunc videbatur sibi quod beata Virgo staret coram Domino, trahens de Corde Domini candidam vestem, et sibi daret: quam cum induere vellet, videbatur sibi caterva dæmonum a dextris et sinistris sibi stare, impediens ne illam vestem indueret. Ipsa autem inclamans beatam Virginem orabat ut se juvaret. Quæ statim opposuit se dæmonibus obumbrans ei, et amplius non comparuerunt.

Illa vero induta veste orabat gloriosam Virginem, ut se doceret qualiter hanc vestem impollutam servaret. Cui illa: « Cave ne quid effluat de oculis, de naribus, aut de ore cadat

super vestem, neque etiam manibus contractes vilia, quæ possint inficere illam. In his verbis agnovit quod oculos cavere deberet ab omni vanitate, specialiter de viris, ne diligenter eos aspiceret. De naribus intellexit, quod omne delectamentum, quod Deus non est, fugere deberet. Similiter de ore, quod omnia verba vana, specialiter detrectatoria, murmurosa et mendacia, multum inquinant animam. Per manus vero, omnia opera et labores quæ propter Deum et necessitatem non fiunt.

Per
custodiam
sensuum
castitas
servatur.

EXPLICIT PARS TERTIA.